6

DE

HYDROCEPHALO ACUTO.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA,

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE GRATIOSI

MEDICORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE LITTERARIA BEROLINENSI,

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR,

DIE V. M. IANUARII A. MDCCCXXIV.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

CAROLUS AUGUST. FISCHER

GARDELEBA - PALAEOMARCHICUS.

OPPONENTIBUS:

E. KLINSMANN MED. DR.

F. PILTZ, MED. CAND.

E. GABLER, MED. CAND.

FORMIS BRÜSCHCKIANIS.

Duo sunt praecipui medicinae cardines, ratio et observatio; observatio tamen est filum ad quod dirigi debent medicorum ratiotinia.

Baglivi, Prax. med. Libr. I. c. 2. §. 3.

VIRO

GENEROSISSIMO, CELEBERRIMO, ILLUSTRI,

EXCELLENTISSIMO

C. E. de WEIGEL

MEDICINAE ET PHILOSOPHIAE DOCTORI, CHEMIAE ET PHARMACIAE PROFESSORI PUBLICO ORDINARIO IN UNIVERSITATE LITTERARIA GRYPHISWALDENSI, ARCHIATRO, UNIVERSITATIS AC FACULTATIS MEDICAE SENIORI, MUSEI MINERALOGICI DIRECTORI, ORDINUM AQUILAE RUBRAE ET STELLAE POLARIS SUECIC. EQUITI, ACADEMIAE SCIENTIARUM ET SOCIETATIS MEDICORUM HOLMIENSIS, CAESAR. NATUR. CURIOSOR. ALIARUMQUE MULTARUM SOCIETATUM SODALI ETC. ETC.

PRAECEPTORI

SUMMA PIETATE COLENDO,

PATRONO

EGREGIE DE SE MERITO,

HUNCCE LIBELLUM ACADEMICUM

GRATO ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

Praefamen.

Facile quispiam eos morbos periculosiores dixerit, qui pari ceteroquin vehementia, ex ipsa laborantis natura et opportunitate, quam dicunt, indolem suam recipiunt. Ita inflammationes in robustioribus, febris puerperalis, angina membranacea puerorum, ob id ipsum gravius desaeviunt, quod corporis natura ad singulos hos affectus proclivior, morbi concepti fomitem alit. Praeter anginam vero membranaceam, est hydrocephalus acutus, qui inevitabilis saepe tenerae aetati insidias struit, puerilis organismi peculiarem vim, aegrotulos eo citius praecipitantem luculenter prae se fert, morbus sane atrocissimus, qui nobilissimum mentis organon ac ipsa vitae nervosae penetralia destruit, difficillimus insuper cognitu, sic ut priores medici, quantumvis acuti versatique in observanda natura, ex toto fere

eum ignoravisse videantur, optimoque iure exacta eius diagnosis recentioribus accepta referatur. Optandum sane est, ut ad talem morbum, quam clarissime perspiciendum, quo facilius verum a falso et dubio discerni queat, quam plurimae observationes colliguntur, unde et ipse operae pretium me facturum esse putavi, si propriam qualemcunque hydrocephali acuti observationem in medium protulerim. Quam mihi contigit in policlinico universitatis litterariae Berolinensis, benevolentia Perill. Hufeland, praeceptoris mei longe reverendissimi instituere, cui hic gratias agere maximas ob summa in me merita liceat. Haud minus obstrictus sum Cel. Osann et Exp. Busse, viris nunquam satis colendis, quibus adiutoribus illud institutum clinicum, uberrimos fructus medicinae studiosis et tulit et usque feret.

Integrum de hydrocephalo acuto tractatum, ne nimis tenue evaderet commentariolum hoc inaugurale, praemittendum esse censui, cuius ut aequos se iudices praebeant, L. B. etiam atque etiam rogo.

---

§. 1.

Auctores, qui de hydrocephalo acuto conscripserunt, et quos hoc in specimine consului.

Initio superioris saeculi, imprimis autem nuperrimis temporibus, multi tractatus hoc de morbo conscripti sunt, ne autem limites huius commentarioli transgrediar, non omnes hic commemorabo, sed tantum eorum nomina enumerabo, qui praecipue proteiformi morbo operam navaverunt et observationes, memoria dignas protulerunt.

Variae opiniones et multiplices, quibus auctores de morbi origine et indole favebant, explicationem discrimina tam magna amplectentem obstant, ut vix ac ne vix quidem, unum eundemque morbum in eo reperiamus.

Nonnulli auctores Hippocrati 1) hydrocephalum acutum satis notum fuisse tradiderunt atque testimoniis firmaverunt, quibus praecipue Goelis 2) assentit; Whytt 3) autem, Akkermann 4), Wendt 5) et alii id argumentis repugnantes, se tantum hydrocephalum chronicum, non vero illum, superius recitato in libro explicasse, dicunt; Celsus 6), Aëtius et Paulus Aegineta 7) solummodo hydrocephalum chronicum cognoverunt, quem satis observatum suis in libris exposuerunt. Ettmüllerus 8) tandem ait: Vesalium primum de collectione aquae in cerebro mentionem fecisse. Etiam si plures praeteritorum saeculorum medici, n. c. Sennertus, Bonetus, Willisius, Petitius, Morgagnius reliq. de morborum expositione ac descriptione maxime meriti, observationes, quae ad hydrocephalum acutum multa cum certitudine referendae sunt, suis in operibus relinquerunt, attamen hi discrimen inter illum et hydrocephalum chronicum non satis intellexisse videntur. Observationes autem

1) Hipp. de morbis lib. II. sect. 5. edition. Foësio.

2) Goelis über die hitzige Gehirnwassersucht. Wien 1820. pag. 107.

3) Whytt in Tissots Nervenkrankh. B. III. p. 65.

4) Akkermann opera practica. Uebersetz. pag. 665.

5) G. Wendt Beobachtungen u. Bemerkungen über die hitzige Gehirnwassersucht. Leipz. 1823.

6) Celsus Libr. IV. Cap. 2.

7) Paul. Aegineta Lib. V. Cap. 3. et historiarum medic. historia XIII. Venetiis 1621.

8) Ettmülleri opera omnia. Tom. I. pag. 416.

nostris temporibus diligenter et studiose a peritissimis medicis institutae, qui praecipue omnia phaenomena, inter morbi decursum, sub variis formis atque permutatis obvia, notatu dignissima habere studebant, lucem clariorem de eiusdem natura, causis et de curandi methodo accenderunt. Quo factum est, ut simul Weikardii aliorumque opiniones morbi exsistentiam plane negantes, exstinguerentur. Primum Johannes Paisley 1) (1733) id malum in tractatu suo accurate exposuit; deinde Robertus Whytt 2) (1768) dissertationem egregiam de hydrocephalo interno edidit, in qua morbum, pulsuum modificationes in eius decursu illustravit, maxime respiciens ad extrema stadia. Alii vero scriptores sunt: Fothergillius 3), Huck, Thomson et Rush 4). Tum Ludwig 5) dissertatiotionem inauguralem optimam, libro R. Whyttii fundatam exaravit, in qua de omnibus, ad tempus usque

---

1) A Hydrocephalus with remarkable symptoms by John Paisley medic. essays Edinb. T. III. p 335.

2) Robert Whytt über die Gehirnwassersucht. In dessämmtl. zur pract. Arzeneiwissensch. gehörigen Schriften. Leipz. 1771. V. Bd. S. 662.

3) Medicinal observations and inquiries Vol. IV. 1772.

4) Rush's Bemerkungen über die Ursachen und Heilart des innern Wasserkopfes. In der Sammlung auserlesener Abhandlungen für pract. Aerzte. Bd. XVII. p 487.

5) Ludwig. Dissertatio inaugural. de hydrope cerebri puerorum. Lipsiae 1774.

suum observatis commemoravit. Odier 1) plura exempla circumspecte observavit, quae fide dignissima in ephemeridibus medicis Parisiensibus publici iuris fecit; nec minus Quin 2), qui morbi naturam inflammatoriam rite explicavit. Nunc nostri saeculi quidam scriptores seriem continuant, quo pertinent Johannes Cheyne 3) et J. Coindet 4); inter Germanos excelluerunt Hopfengaertner, qui morbi sedem unice in systemate nervoso posuit, imprimis remedia excitantia ad eum debellandum commendat; deinde Baader, de Portenschlag 5), Loebenstein-Loebel atque alii; Formey 6) vero tractatum edidit, quo methodum antiphlogisticam, ad hydrocephalum acutum curandum, ceteris praeferendam esse, edocti su-

---

1) Odier's medizinisch-chirurgische Abhandlung von der Wassersucht der Gehirnkammern. In der Sammlung auserlesener Abhandl. f. prakt. Aerzte Bd. IX. S. 320.

2) Quin's Abhandlung über die Gehirnwassersucht a. d. Engl. übers. von Michaëlis. Leipz. 1792.

3) J. Cheyne Versuch über den acuten Wasserkopf. a. d. Engl. von Müller. Bremen 1809.

4) Memoire sur l'hydrencephale, ou cephalite interne hydrencephalique par J. F. Coindet. Paris et Genève 1817.

5) Von Portenschlag-Ledermayer über den Wasserkopf. Wien 1812.

6) L. Formey von der Wassersucht der Gehirnhöhlen. In Horns Archiv Iahrgg. 1810. B. IX. p. 219.

mus, at Goelis 1) monographiam experimentis multis ornatam scripsit, cadaverum sectionibus magis comprobatis. Tandem nonnulli scriptores Franco-Gallici n. c. Jadelot 2), Baumes 3), Bouvier, Ducasse, Cloquet reliq. observationes suas et animadversiones in ephemeridibus rerum medicinalium, huc aut illuc dispersas proposuerunt, notatu plerumque dignissimas.

Haec sint, quae scriptis commeratu imprimis necessaria iudicavi, nunc ad morbi definitionem et divisionem generatim exponendam, transire liceat.

§. 2.

De hydrocephali speciebus ac varietatibus generatim, et de hydrocephali acuti differentiis.

Priusquam propius ad specialem atque magis exaratam descriptionem accedo, verba nonnulla de variis speciebus morborum hydropicorum, praecipue vero in capite externo et interno obvenientium, praemittere liceat, quae eorum divisionem, secundum humoris collecti sedem formas atque modos, et alia huc spectantia amplectantur.

---

1) Goelis Leopold Anton, practische Abhandlungen über die vorzüglichsten Krankheiten des kindlichen Alters. Wien 1815.

2) Journal de medicine, chirurgie et pharmacie 1806.

3) Annales de la societé de medicine de Montpellier.

Nomen hydrocephali a Graecis vocibus ὕδωρ i. e. aqua et κεφαλή i. e. caput, derivatum, praeternaturalem humoris serosi, vel sero-lymphatici, in capite collectionem generatim designat, qui impermixtus, aut interdum cum aliis e. g. puriformi fluido commixtus, diversis in locis capitis, ut latice in substantia cerebri in eiusdem ventriculis, vel inter membranas cerebrum ipsum circumdantes; tum etiam extra calvariam inter integumenta capitis reperitur, qua varia ex sede hydrocephali differentiae ortae sunt.

Hic morbus non solum hominem, sed etiam animalia domestica, e. g. equos, vitulos et oves invadit, quo in casu sectione capitis facta, ille humor copia exigua vel maiori, aut in saccis peculiaribus inclusus, aut sine velamentis interno in capite effusus, deprehenditur. Multiplices hydrocephali species ex origine, decursu, sede atque complicationibus deductae, exstant. Hydrocephalus externus et internus, quae utraque species pro diversitate loci, quem humoris praeternaturalis collectio obsidet, in varietates subdividitur.

Hydrocephalus externus quidem ille status praeternaturalis nominatur, quo fluidum abnorme extra cranium, inter integumenta diversis in locis stagnans offertur. Tales igitur stagnationes, vel inter cutem et galeam aponeuroticam, vel inter illam et pericranium, vel denique inter hoc et cranium ipsum occurrere solent, quae omnes ex symptomatibus unicuique propriis sunt distinguendae.

Hydrocephalus internus, si humor praeter naturam in cranii cavo ipso, diversis quidem in locis, e. g. in cerebri substantia ipsa, in eiusdem ventriculis, vel in-

ter tunicas cerebrum involventes collectus est. Quibus in casibus vero, ubi id fluidum, extra calvariam effusum, cum humore cavum capitis occupante commercium habet, P. Frank 1) nomine hydrocephali complicati, usus est. Hic porro distinguit hydrocephalum meningeum, ubi abnorme secretum non in substantia cerebri ipsa latet, sed aliis in locis capitis interni, iam memoratis, collectum est, et hydrocephalum encephalodem, qui secretione aquae, vel alius humoris abnormis, in ipsam cerebri cerebellique substantiam, aut eiusdem ventriculos (hydrops ventriculorum cerebri) facta, constituitur. Deinde distinguimus hydrocephalum universalem atque partialem, prout secretum praeternaturale cerebro toti, vel tantum uni parti incumbit; tum acutum et chronicum, quae denominationes a celeriore aut tardiore mali decursu et uniuscuiusque symptomatibus sumtae, habemus. Observationes etiam nos docuerunt, hydrocephali interni causam, non semper in capite ipso posse inveniri, quia id malum vario modo et diversis sub conditionibus corpus invadere solet; sic e. g. interdum hydrocephalus internus morbum praegressum sequi ideoque eius effectus ac comes esse potest, etiamque ille, ob consensum peculiarem capitis aliis cum corporis partibus, imprimis si simul morbo laborant, reactione hac morbosa cerebrum afficiente, facile procreatur, denique id malum hydropicum materiebus secretoriis et excretoriis, ad

1) Epitome de morb. homin. curand. de Libr. VI pag. 162.

caput ex aliis partibus subito translatis atque suppressis gigni potest; quam ob rem hydrocephalum idiopathicum, symptomaticum, consensualem et metastaticum, discernimus. Goelis 1) tandem divisionem hydrocephali in acutissimum, acutum et chronicum constituit. Acutissimus, sive apoplexia aquosa, ob decursum rapidissimum atque magnum periculum, quod aegrotanti infert, quod fere semper omnibus auxiliis resistit, ita brevissimo temporis spatio animam eripit. Cullen 2) sub nomine apoplexiae hydrocephalicae ambas species, tam acutum, quam acutissimum comprehendit, quas autem ab hydrocephalo chronico rite distinguit.

Plures auctores ad morbi designationem nomine febris hydrocephalicae usi sunt, alii vero Cheyne, Coindet et Burserius 3) morbum, hydrocephalum acutum, nominant, priori denominationi imprimis, auctore Macbridio adsentientes, morbum sequentibus ex rationibus hac certius designari affirmant:

a. quod inter morbi decursum, febris vel motus febriles nunquam desunt, qui in chronico hydrocephalo nonunquam, vel rarissime animadvertuntur.

b. quia exsudatio aquosa effectus febris, in cerebro excitatae.

c. quia hoc nomen medicum adhortatur, ut antiphlogistica methodus ad indolem inflammatoriam, id

---

1) Goelis l. c. pag. 5.

2) Cullen nosologia methodica 1780.

3) Burserii Institutiones med. Vol. III. pag. 45.

est fontem morbum nutrientem supprimendam, ceteris medendi methodis praeferat.

Wendt hoc nomen tantum primum stadium, quo febris revera adest, certo notare existimat, ad morbum totum rite designandum, sibi minus congruum videri fatetur.

§. 3.

De hydrocephali acuti distributione in stadia.

Ratione decursus morbi stadia sunt accepta, etiamnum vero medici inter se disceptant, quamnam alii distributionem comprobant, alii vero eam repudiant. Robertus Whytt 2) primum tria stadia designavit, quae, ut supra iam dictum, pulsuum conditione destinata sunt. Sed pulsus mutabilitatis et inconstantiae causa, hoc in morbo signum momenti maioris praebere non possunt, quod spatio temporis brevissimo sine ulla manifesta causa, inter morbi decursum ita mutantur, ut si prius frequentes, duriusculi et regulares superimposito digito fuerint, paulopost retardati, molliores irregulares plerumque intermittentes sentiuntur. Cheyne etiam devisionem in stadia, respectu pulsuum vituperat, Wichmann vero, Hopfengaertner, Portenschlag aliique silentio praeterierunt. P. Frank 3) excepto praenun-

1) Wendt Kinderkrankheiten p. 195. Breslau 1822.

2) Whytt l. c. pag. 662.

3) Epitome lib. VI. p. 183.

tiornm stadio, tria, nempe: stadium sensibilitatis, torporis et paralyticum destinavit, nec minus Plenkius 1) totidem stadium, scilicet: febrile, apyreticum et lethale adsumsit. Goelis 2) denique stadium turgescentiae sive prodromorum, inflammatorium, transudationis ac paralyticum morbo posuit. Formey 3) autem divisionem potius non admittit, putans, per eam facile errorem induci, quia aquae collectio in cerebro pro principi malo atque necessaria, ad morbum constituendum, haberi possit.

Morbi tamen natura peculiaris, ex hac dispositione in stadia magis illustrari et intelligi videtur, nam vere ex pluribus tam apertis phaenomenis; nisi opposita appareant, imprimis in fiente morbo, seu in primo stadio elucet, actionem vasorum sanguiferorum cerebri, nec minus organismi reliqui, quamquam interdum minori in gradu exaltatam esse, experientia ipsa edocti, vidimus et hodiernum ad usque diem videmus, apto ac iusto tempore, antiphlogistica medela suo in ambitu maiori adhibita, non solum malum coërceri, sed etiam integritatem ex toto restitui posse; idcirco procul dubio est, indolem inflammatoriam stadio morbi primo propriam habendam esse. Stadium secundum, quod tertium nempe exsudationis secundum divisionem auctoris Goelis amplectitur, phaenomena offert, quae exsudationem in cerebrum factam esse, concludere per-

---

1) Plenk de morbis inf. pag. 48.
2) Goelis op. c. pag. 14.
3) Formey l. c. pag. 235.

mittunt; num vero solitus huius morbi decursus effusionem humoris necessariam habeat, nec ne — id stabilitare moderate concedo, et medicorum peritorum consilio committere volui; tertium denique paralyticum, nomen hoc optime meretur. — Quum haec distributio cognitionem morbi faciliorem reddat et descriptioni non leve auxilium praebeat, decursum tria in stadia disponere non dubitavi.

Hoc in commentariolo phaenomena, quae praecipue in infante hoc morbo laborante, magis minusve aperta esse solent, quod fere semper infantili aetati noxius, rarissime in adultis observatur, narrare mihi proposui; itaque ad morbi imaginem exacte delineandam me convertam, experientia adiutus virorum celeberrimorum, quorum effatis pauxillum, quod ipse observavi, timide adiicere volui.

§. 4.

Symtomatologia.

Infantes rarius hoc malo subito corripiuntur, plerumque prodromi brevius, vel longius tempus antea, priusquam morbus erumpit obveniunt, in quos ad certam cognitionem constituendam, attentionem maximam dirigere debemus. Hi praenuntii non semper conspiciuntur eodem in gradu atque numero, itaque interdum levius, interdum difficilius cognoscuntur, saepius autem accidit, ut medici auxilium a parentibus tum efflagitetur, quum his ex toto obliteratis, stadium proprium iam ingressum est; denique rarius quidem, morbus ipse tam repente erumpit, e. g. apo-

plexia aquosa, ut subito sine omnibus prodromis infantem invadere soleat.

Haec fere prodromis sunt adnumeranda:

Exanthema exiguum, siccum ad brachia interna, in malis atque circa labia erumpens, quod exanthemati inter infantulorum dentitionem interdum apparenti, simillimum habendum est. Quod exanthema non solum in illis locis, sed etiam ad alias corporis partes erumpere solet, v. c. supra nasi radicem in forma sellae, ut Sachs saepius se vidisse commemorat. Quo in loco id imprimis regionem frontis inferiorem obsidens, reliquis corporis partibus ab omni vestigio liberatis, observavimus.

Urina turbida et lactea, testibus Odier 1) et Formey 2) signum certissimum praebet. Sachs huic lotii secretioni, mixtionem ex tribus partibus aquae et una lactis coniunctam, simillimam habendam esse exposuit. Goelis 3) vero, et Hopfengaertner 4) de hac urinae indole peculiari nihil proferunt, ille urinam parcam, hic luridam esse, dicit. Coindet 5) etiam num de duobus urinae signis characteristicis mentionem facit, quae inter prodroma momenti maioris referenda sint:

---

1) Odier l. c. p. 320.

2) Formey l. c. p. 225.

3) Goelis l. c. p. 19.

4) Hopfengaertner l. c. pag. 41.

5) Coindet observations sur un caractère particulier des urines pag. 34.

1) album offert farinaceum, vel cretae simile sedimentum, paulo post urinae emissionem vitri fundum petens, deinde

2) urinam splendentem ac micantem quandoque observari, affirmat. —

Quod sedimentum in stadio inflammatorio, praecipue autem, post vehementem exacerbationem ex urina matutino tempore prima demissa, saepius tam larga copia observavimus, ut supernatans fluidum ab eo longe superaretur, urinae permutationem et prodromis et morbo iam orto, communem esse, observatores testantur.

Infantis hilaritas in tristitiam commutatur, morosi, male contenti, perirati ac immorigeri fiunt, si ceteroquin bene morati fuerant. — Incessus titubans atque vacillans. Infans inter ambulandum in plano facile cadit, passibus magnis means, pedes hoc modo ponere solet 1), veluti scalam adscendere velit. Sed ad morbi descriptionem perfecte absolvendam, alia etiam quamvis inconstantia eademque non solum huic, sed etiam aliis affectionibus morbosis communia, quibus infantilis organismus laborare solet, proferamus, huc pertinent, e. g. dentitio difficilis, exanthematum acutorum eruptio retenta, ventris morbi inflammatorii, febris verminosa reliq., quae omnes cum symptomatibus, nunc exponendis intrare possunt, quare medicus unoquoque morbo infantili fiente, omnia ipsaque minima, attente ac circumspecte respicere debet, ne in errorem trahatur. — Infantulus loquendi facultate iam

1) Goelis l. c. p. 20.

praeditus de capitis doloribus et vertigine, praesertim autem si lectulo erectus insidet, aut si ab uno ad alterum latus movetur, quaeritur. Color faciei saepe mutatur, modo rubor, imprimis si sanguinis congestiones caput petunt, modo pallor inconsuetus conspicitur. Ipsa facies tota valde et peculiariter commutata apparet, qui habitus hydrencephalicus haud immerito nuncupatus est, qui, quamquam verbis atque literis depingi nequit, semel in aegroto ipso observatus, medici memoriae tam firmiter inhaeret, ut solum ex hoc absque aliorum symptomatum consideratione morbi diagnosin ad modum confirmare possit. Quin, Yeat 1) et Odier 2) dicunt, paucos se morbos vidisse, qui habitum quendam certius atque constantius prae se tulerint. Accedunt calor et horripilationes alternatim abeuntes et redeuntes; oculi madidi lucem refugiunt, splendorem amittunt; auditus interdum acuitur. Somnus irrequietus, pavores ex somno, tum fletus atque eiulatus; molestias interdum doloribus cervicis, brachii, manuum pedumque rheumaticis augentur. Ciborum appetentia est perturbata et imminuta, dolores in ventre, imo intumescentia ab ventriculi regione ad umbilicum usque extensa, observatur. Vomituritiones ac vomitus, qui vero affirmante Wenzelio morbum ipsam iam incepisse, indicant. Urina parca, lactea, alvi obstipatio, excrementa coloris va-

---

1) Yeat's Darstellung der frühesten Symptome der Hirnwassersucht a. d. Engl. Hannov. 1817.

1) Odier l. c. pag. 325.

riabilis et muco commixta. Pulsus denique aliquanto frequens, irregularis, interdum intermittens. Quae praenuntia per dies aliquot, vel hebdomades perdurare, interdum imo omnia deficere, interdum tantum pauca adesse queunt, qua ex ratione potius concludendum est, haec symptomata, peculiare stadium destinare, non posse.

§. 5.

Stadium inflammatorium seu febrile.

Hoc stadium indolem inflammatoriam, quae ex phaenomenis eam luculenter representantibus deprehenditur, prae se ferre, conspicuum est. Dolores capitis initio tolerabiles; singula loca, v. c. frontem, occiput et tempora occupantes, nunc totum caput obsident, fiunt punctorii, prementes, constringentes et adeo intolerabiles, ut lenissimum attactum sine molestiis non permittant, quibus etiam vagantes dolores aliarum partium corporis rheumatici accedunt. Oculi sponte lacrymantes, alte in orbita siti, ob adauctam retinae sensibilitatem, palpebris quae oedematose tumescunt, ad dimidiam partem clauduntur; pupilla fere semper contracta, interdum vero dilatata 1) conspicitur; albuginea est pallida, inter exacerbationes vehementiores, etiamque si oculi simul inflammationibus chronicis laborant, rubefacta evadit; auditus ita acuitur, ut quisque strepitus ab aegrotulo moleste percipitur.

---

1) Hopfengärtner l. c. p. 40.

Facies rubescit, atque alternatim pallescit, arteriae temporales et carotides imprimis inter exacerbationem vehementer pulsant, calor capitis augetur. Interdum alterutrum faciei latus insigni oedemate afficitur, quod in puero, in quo sinistrum latus faciei tumefactum simulque erysipelate correptum erat, observavimus, quae intumescentia ex facie evanescens, statim in occipite iterum erupit, per plures dies, unum vel alterum locum occupans, in conspectum prodiit. Inquietudo est maxima, inter somnum deliria et stridor dentium, ex eo autem excitatus, illico aegrotulus eiulatum huic morbo proprium edit. Siccitas et narium pruritus. Digestionis functio turbata, lingua est alba et sicca, atque ciborum appetentia ex toto deficit, bibendi cupiditas tantum inter exacerbationem ad potum sumendum, invitare solet. Tum accedunt nausea, vomiturritiones et vomitus, qui ter, quater vel sexies intra viginti et quatuor horas excitantur, imprimis vero per omnes cibos ac potus ventriculo ingestos, motione et situ erecto corporis augentur.

Rarissima apud auctores exstant exempla, quibus totus morbi decursus sine omni vomendi conatu et vomitu absolutus sit, quae observatio nobis semel accedit. Alvi obstructio est tam pertinax, ut doses maxime purgantium remediorum, imo fortiter agentium e. g. drasticorum, ad eam solvendam non sufficiant; excrementa emissa colorem varium atque consistentiam peculiarem habent, namque illa laxata exhibent materiam ex flavo-seu opaco-viridem, seu fuscam, quae coloris

respectu cum decocto ex spinacea 1) et fuligine parato, optime comparanda sunt. Abdomen inter pertinacissimam obstipationem in regione umbilicali planum atque collapsum apparet, symptoma, quod Goelis 2), notatu dignissimum censet. Pulsus est parvus, frequens atque irregularis, nonnunquam intermittens, cuius acceleratio inter exacerbationem talem ad gradum evehitur, ut pulsationes ipsae innumerabiles fiant nec minus respiratio accelerata et anxia, spiritus odoris gravioris spargens, perficitur. Lotii secretionis commutatio et peculiare exanthema, de quibus iam supra locuti sumus, hacce in periodo etiam deprehenduntur. —

Quod morbi spatium per aliquot quidem dies absolvi, verum tamen ad diem octavum, imo ad decimum quartum persistere potest. Si autem tempestive aptissima medendi methodo limites ei non ponuntur, secundum stadium periculosius et sanatu difficilius sine ulla mora irruit.

§. 6.

Stadium exsudationis seu torporis Frankii.

Phaenomena in antecedente spatio indolem inflammatoriam prae se ferentia, nunc alium characterem offerunt, sensibilitasis exaltatio nimis imminuta,

1) Yeat l. c. p. 55.
2) Goelis l. c. p. 32.

immo fere deleta observatur, omniaque exsudationem in cerebro factam esse, praeclare testantur. — Aegrotulus antea inquietudine anxia vexatus, nunc quiescit, petit semper posisum horizontalem, caput in uno alterove latere lectuli positum, tranquillum remanet, viresque ad id, atque corpus elevandum desunt. Erectus atque sedens per aliquot horae minutas retentus mox anxie et inquiete se habet, studet capite recumbere, quo in situ statim ad quietem redit, quod experimentum Formey 1) ad diagnosin rite confirmandam praeceteris commendat. Quo in statu soporoso immobilis iacens, manus saepius ad caput et nasum admovere et digito in ore ac naribus cavare solet, ex eo autem excitatus, interroganti vix ac quidem vix responsum dat, tum mox in soporem reiicitur. Oculi semiclausi, prius magnam receptivitatem manifestantes eam nunc amiserunt, tantum fortiori lucis irritamento adhuc afficiuntur; pupilla maxime dilatata motus oscillatorios adversus luminis impetus producit. Visus est fallax, obiecta minora ante oculos posita, aut non cognoscuntur, aut duplicia conspiciuntur, vultus est torvus atque adfixus, nonnunquam strabismus adest. Auditus acies obtunditur, quod etiam Baader 2) affirmat, Goelis 3) vero audiendi facultatem imminui, repugnat. Lingua sicca, sordido et fusco tegmento est ob-

---

1) Formey l. c. p. 237.

2) Baader Geschichte der Wassersucht der Gehirnhoehlen. Frankf. 1794. p. 33.

3) Goelis l. c. p. 34.

tecta, nihilominus infans cibos postulat, quos insigni cum cupiditate, capite suffulto, devorare solet. Vomitus nunc fit rarior, aut ex toto desinit; alvus vero semper manet pertinacissime obstipata, alvinae deiectiones fortioribus laxantibus promota, sunt fuscae, subnigrae, glutinosae, seu argillaceae, odorem acidum atque putridum exhalantes. Urinae secretio est parca ac commutata, nonnunquam paucum sedimentum exhibens, lotum ipsum modo involuntarie profluit, modo spastice retinetur.

Pulsus tardior, debilior atque intermittens redditur, respiratio evadit alta suspiriisque intercepta, anima foetida pectore educitur. —

Quod si haec periodus per dies aliquot, imo ad septimum usque perduravit, accidit saepius, ut aegrotulus ad se redeat, qui quasi recens natus cibos provectos cum voluptate accipit ac edit, mox novos iterum petit, ludit et lectum relinquere cupit, qua repentina mutatione atque improvisa medico et parentibus saepe iucunda spes, morbus solvi et valetudo restitui paratur, proh dolor! falsa vero, errorem terribilem inducti, infantem in pristinum statum reiectum vident, omniaque phaenomena peiora redduntur, tandemque in soporem relabitur, quocum tertium stadium omnium periculosissimum medicinae quaecunque methodus repudians, introitum facere solet.

§. 7.

Stadium paraliticum seu lethale.

Hoc in morbi ultimo spatio, quod iure meritoque mortiferum nominatur, phaenomena tristissimam ma-

ximeque terribilem scenam exhibentia, in observatoris conspectum prodeunt. Aegrotus spasmis clonicis ac tonicis, torpore atque stupore acerrime vexatur, qui cerebrum, nervorum sphaerae centrum prae ceteris affectum esse, atque exsudati mole, in eo depositi, pressi, luculenter testantur. Quae convulsiones aut corpus totum, aut nonnullae eius partes, v. c. faciem, extremitates, oculos corripiuut, priori in casu, quo totum corpus tetano universali laborat, simul caput plerumque deorsum retrahitur, quod vulgo episthotonos vocatur, est gravissimum phaenomenon, quod semper mortem afferre solet; interdum vero oesophagus spastice constringitur, quo deglutitio ita impeditur, ut omnia sumta ex ore statim reiiciantur. Oculi semiaperti nunc ex orbita non multum progredientes, convulsivi huc et illud torquentur, aut fixi sunt; pupilla maxime dilatata omnem in lucem reactionem perdidit, cornea puriformi muco obtegitur, strabismus adaugetur. Facies pallida collabitur, in fronte et genis rubrae maculae fugaces atque in aliis partibus corporis dispersae obveniunt. Extremitates tam superiores, quam inferiores vicissim frigescunt atque calescunt. Lingua est sordida, aspera et fissa, labia sicca, quae spastice distorquentur.

Urina parca, coloris subflavei, nunc aegroto inscio emittitur; alvina obstipatio in diarrhoeam commutatur, excrementa tum aegro nesciente nolenteque excernuntur. Febris, quae in praegresso stadio plane aberat, nunc denuo exoritur, itaque pulsus velocissimi ac frequentissimi redduntur, simulque filiformes atque maxime irregulares; sitis vehementer urget. Respiratio

est difficilis et accelerata, anima foetorem spargit. Sudores prorumpunt partiales. Si mors impugnabilis irruit, eam praesagientia phaenomena observantur: nimirum inter maximum cutis ardorem et fronte largiter sudante manus pedesque alternatim frigescunt, cor breve ante intrantem mortem adeo palpitat, ac convulsive exagitatur, ut hae fortissimae motiones non solum conspici, sed ipsae fere exaudiri possunt. Denique nunc aegrotulus horrendo modo excruciatus, aut convulsionibus absumitur, aut viribus ex toto exhaustis, diem supremum obit.

§. 8.

Aetiologia.

Iam a priori inde tempore, medici de hydrocephali indole vera semper inter se disceptaverunt, neque ad hunc usque diem, magnae contentionis disputationes finitae sunt. Peritissimi tamen eorum indolem inflammatoriam praevalere ostenderunt, quam opinionem argumentis experientia rite comprobatis, affirmarunt, namque illa phaenomena (§. 5.), quae primo in stadio observantur, luculenter testantur, exaltationem systematis sanguiferi, imprimis arteriosi, quamvis inferiori in gradu minorique vehementia, quam in encephalitide adesse, porro hanc opinionem mirifice confirmant curationis antiphlogisticae successus, quam sane tempestive adhibitam, ceteris medendi methodis utique esse praeferendam, luculenter apparet. Tandem cadaverum sectiones, quae capite aperto, omnia et cerebri substantiam penetrantia, et in superficie

atque in aliis locis dispersa vasa, expansa, rubra, quasi massa cerea rubra impleta essent, offerunt, rem magis etiam confirmant. Plures priorum medicorum n. c. Whytt, Fothergill, Odier aliique exsudationem aquae solam, pro causa morbum efficiente habuerunt, namque omnia in hoc morbo obvenientia symptomata, ab exsudatione dependere credebant, sed causam ab effectu distinguere non potuerunt, quare in hunc errorem inducti sunt. Illa exsudatio autem non morbi causa, sed potius sequela morbose exaltatae actionis systematis sanguiferi in cerebro est iudicanda, quae ex congestione atque adaucta irritatione exorta, vasorum lymphaticorum paralysin faciliter inducere potest, qua eorum vis resorbens ex toto extincta, muneri suo praeesse desinit. Pertinent ad eos, qui morbi inflammatoriam indolem plane negant, atque eum febribus nervosis adnumerandum esse, censeant, praecipue Macbridius, Whyttius, 1) Hopfengaertner, 2) Wichmann 3) reliq.; e contrario vero Withering, Quin, Rush 4) illam vindicaverunt, cui sententiae etiam Hufeland 5), Wendt 6), Girtanner, Goelis ac plures e peritissimis maxime favent. Nec minus Cheyne 7) et Formey opinioni, qua

---

1) Whytt l. c. p. 662.

2) Hopfengaertner l. c. p. 59.

3) Wichmann Ideen z. Diagnostik. B. III. p. 57.

4) Rush l. c. p. 487.

5) Hufeland System der practischen Heilkunde. B. II. Abthl. I. p. 109.

6) Wendt Kinderkrankh. p. 199.

7) Cheyne l. c. p. 62.

hydrocephalus acutus, morbus inflammatorius habetur magis minusve adsentiunt, quamvis nomine inflammationis non usi sint.

Formey 1) causam ait proximam in praevalente cerebri substantiae vegetatione, in congestione perpetua sanguinis versus caput, in impletione vasorum atque actione nimia cerebri ipsius, imprimis inter evolutionis periodos, quaerendam esse, quae omnia illi statui morboso, inflammationi simillimo ansam praebeant, cui opinioni adsentire, mihi persuasum habeo. Iamiam perill. Hufeland 2) magnam capitis praestantiam commemoravit prae reliquo corpore, congestiones sanguinis et aliorum humorum frequentiores versus caput et cerebrum in aetate infantili, atque velociorem facultatis animi evolutionem, maximam medici attentionem mereri. Wendt 3) tandem sedem hydrocephali acuti verisimillime in arachnoidea membrana quaerendam et morbum ipsum, effectum perturbatae aequabilitatis, inter exhalationem humoris serosi atque absorptionem habendam esse, dicit.

Infantilem 4) aetatem absque sexus discrimine ad hunc morbum maxime dispositam esse, praecipue vero infantes ab anno aetatis secundo usque ad sextum, eo infestari, constat. — Non solum cerebri evolutio, quae hoc tempore velocissime progreditur,

---

1) Formey l. c. p. 223.
2) Hufeland über die Blattern. 2. Aufl. p. 304. Anhang.
3) G. Wendt Beobachtungen etc. Leipz. 1823. p. 1. 2.
4) Formey l. c. pag. 224.

sed etiam dentitionis 1) negotium causa occasionalis maioris momenti est, quod sanguinis impetum ad cerebrum supra modum auget eiusdem vasorum repletionem inducit, atque hoc modo maximam proclivitatem ad inflammationem et exsudationem provocare potest, unde facile est intellectu, illam aetatem prae ceteris ad hunc morbum pronam esse. Attamen vero exemplis pluribus comprobatum est, homines aetate provectos 2) hocce morbo invadi, quod etiam temporis recentioris medici experti sunt.

Dispositionem ad hunc morbum hereditariam esse, argumentis testantur Quin 3). P. Frank 4) aliique. Interdum peculiaris calvariae forma modo citius, modo serius post partum exorta, invenitur, quae auctore Formey 5) magis rotunda, quam ovalis esse solet; oculi alte in orbita latentes ab ossis frontis marginibus large prominentibus abumbrantur. Quamvis haec capitis formatio characteristica in hydrocephalo acuto laborantibus non semper occurrat, tamen, si adest, ad diagnosin instituendam, multum afferre postet. Observationes denique docuerunt prae reliquis infantes alacres et hilares, eosdemque ingeniosos hydrocephalo acuto corripi.

Multiplices et variae sunt causae occasionales, tam internae, quam externae, quae morbum excitare va-

---

1) Odier l. c. p. 343.

2) Hufeland Journ. Bd. XXII St. 1.

3) Quin l. c. p. 18.

4) P. Frank epitome Tom. 6. p. 337.

5) Formey l. c. pag. 221.

lent, namque omnia actionem in vasis cerebri iam praevalentem augentia, praecipue praevalente dispositione, id malum gignere possunt. Huc spectant: causae mechanicae capiti illatae 1) e. g. iniuriae vel inter, vel mox post partum, caput offendentes, commotiones cerebri 2) et contusiones vehementes, v. c. ictu, plaga, lapsu, saltu, vel aliis violentis exercitationibus 3) inductae. Aliae causae, quae hunc morbum inducere possunt, sunt metastaticae, uti repercussiones exanthematum acutorum subitaneae, imprimis in desquamationis stadio e. g. scarlatinae, morbillorum 4) et miliarium, nec minus chronicorum, uti: crustae lacteae 5), favi, achorum et tineae capitis malignae, tum aliorum totum corpus obsidentium v. c. herpetis et scabiei; porro excretionum suppressiones, quibus corpus per longum tempus adsueverat, uti puris, vel ichoris ex ulceribus inveteratis etc. Deinde causis morbum excitantibus sunt adnumerandae, omnes, quae irritatione fortiori sanguinis circuitum velociorem reddunt, atque congestionibus versus caput ansam praebent, huc spectant: spirituosorum et ciborum calefacientium abusus, remediorum somnum excitantium usus maxime noxius, e. g. opii, dococti capitum papaveris, quod proh dolor! nostris etiamnum diebus matres et curatrices improbae ad somnum promovendum infan-

---

1) Stoll praelectiones p. 289.

2) Wichmann Ideen z. Diagnostik B. III. p. 115.

3) Odier l. c. pag. 339.

4) Hufeland Journal B. 43. St. 4.

5) Ephem. nat. observat. 157. p. 263.

tibus damnoso modo maxime vituperando, porrigunt; tum aliorum narcoticorum v. c. hb. hyoscyami, rad. belladonnae, quae incaute ac nimia dosi adhibitae, hydrocephalum acutum excitare possunt; emeticorum usus perversus; evolutio animi praematura, pathemata animi, obstructiones alvinae pertinacissimae reliq. Porro aliae sunt, quae sanguinis refluxum a capite retardare et impedire possunt, uti tumores, indurationes, tubercula, polypi et vasorum coarctio, quae sanguinem ex capite revehunt. Hoc malum etiam ex consensu capitis cum abdominis visceribus prodit, itaque si haec organa e. g. hepar 1), lien et glandulae meseraicae 2) morbose affecta sunt, cerebrum simul corripi potest. Morbi inflammatorii locales aliorum corporis partium e. g. inflammationes oculorum, aurium capitis externi etc., si intensiorem vehementiam accipiunt, ad morbum inducendum, symbolam suam conferre possunt. Tandem scrofulae imprimis auctore Cheyne 3) qui infantes habitus scrofulosi, prae ceteris ad hunc morbum proclives esse, docet. His memoratis causis adhuc aliae adnumerandae sunt: vermes, morbi praegressi, e. g. morbi hydropici 4) rheumatici 5), tum refrigerationes capitis subitaneae, insolatio 6) mundities neglecta reliq.

---

1) Cheyne l. c. p. 37 et 49.

2) Percival in med. facts and observat. Vol. I. p. 646

3) Cheyne l. c. p. 92.

4) Goelis l. c. p. 90.

5) Ruhs l. c. p. 296.

6) Coindet l. c. p. 74.

§. 9.

Praesagium.

Symptomatibus atque causis enumeratis ad morbi prognosin transeamus. Hydrocephalus acutus aegrum iam quarto die absumere potest, octavo autem, decimo quarto, immo vigesimo primo aegrotus vel sanescit, vel morbi vehementia victus, diem supremum obit, P. Frank 1) morbum per sex hebdomadas durasse memoriae prodidit. Quamvis huius mali prognosis generatim concepta maxime iniqua sit, medicus tamen, ad eam certo ac tuto stabiliendam, in stadium, quod morbus eo tempore, quo ad vocatus est, percurrit animum attendat, necesse est, quoniam primum eius stadium plurimam spem ostendit. Interest enim, ut medicus tempestive accedat, morbumque cognoscat, et remedia apta ad eum debellandum circumspecte et attente adhibere sciat, quibus bene observatis, exitum faustum exspectare licet; ineunte exsudatione vero, aut si exsudatum iam factum est, prognosis semper ambigua erit.

Plures antiquorum medicorum, nec minus recentioris temporis, n. c. Paraeus 2). Ludwig, 3) Plenk 4), Frank, Goelis 5) aliique affirmaverunt, hydrocephalum acutum iam perfecte exultum, raris-

1) Epitome Tom VI. p. 187.

2) Paraeus opera chirurgica pag. 227.

3) Ludwig l. c. pag. 33.

4) Plenk doctrina de morb. infant. p. 8.

5) Goelis l. c. pag. 114.

sime remediis adhibitis cedere, et exsudatione ipsa facta, aegro sine ulla salutis spe pereundum esse. Extant autem exemp a huic opinioni satis contraria, Portenschlag aegrotos, omnia exsudationis signa v. c. statum soporosum, pupillam maxime dilatatam, extremitatum paralysin, deiectionem alvinam involuntariam etc. offerentes, se persanasse commemorat, similia Yeat Cheyne 1) reliq. tradiderunt. Formey 2) et Heim plures in stadium exsudationis iam provectos, se curasse, testantur. Observatio etiam sub calcem huius commentarioli adiecta, morbum phaenomena stadii inflammatorii, simulque exsudationis offerentem, methodo antiphlogistica strenuissime adhibita sanatum esse, demonstrat. Ex qnibus satis elucet, de curatione hoc in stadio nullo modo desperandum esse, quamvis ea semper incertior, quam in inflammatorio stadio habenda sit.

Ad prognosin constituendam haec fere animo notanda sunt.

A. Prognosis fausta esse videtur:

a. Si morbus primum stadium nondum absolvit.

b. Si diathesin inflammatoriam cito minuere vel frangere nobis contigit.

c. Si medicus cito advocatus est morbumque statim cognoscit.

d. Si remedia adhibita bonos effectus praebent, post antiphlogisticorum usum, somnus quietus, sudor

---

1) Cheyne l. c. p. 139.

2) Formey l. c. p. 246.

univeralis supra totum corpus large effusus, intrat.

e. Si deiectiones alvinae opaco-virides, non aquosae, urina copiosior, excernuntur.

B. Prognosis minus fausta est habenda:

a. Si morbus magna cum vehementia et subito intrat.

b. Si complicationes adsunt e. g, cum exanthematibus acutis, v. c. scarlatina, morbillis aliisque, aut si morbus cum scrofulosi universali, febre nervosa, verminosa, vel cum dentitionis negotio, coniunctus prodit.

c. Si exsudationis stadium ex toto formatum est.

d. Si hydrocephalus acutus in chronicum transit.

e. Si phaenomena funestissima e. g. spasmi cuiuslibet generis, strabismus continuus, sudores partiales in stadio paralytico, qui mortem advenientem indicant, respiratio anxia atque accelerata, urina opaca, odorem foetidissimum spargens, excretiones aegro insciae etc. superveniunt. Hac brevi prognosis adumbratione praemissa, morbi curationem persequamur.

§. 10.

M e d e l a.

Medici variis sententiis de morbi natura et indole ducti, ad eum quoque impugnandum variis remediis usi sunt. Qui morbo indolem asthenicam supposuerunt, totum fere excitantium medicaminum apparatum in usum vocare studebant; alii roborantia, alii vero antispasmodica in eius curationem non negligenda esse, putarunt. Inde Portenschlag valerianam, arnicam, cas-

toreum, Hopfengärtner 1) serpentariam, ammonium carbonicum eiusdemque praeparata, vinum, cortic. chinae, maxime commendaverunt, cui Odier 2) adstipulatur, denique sunt nonnulli, qui opio, asae foetidae, zinco oxydato albo, camphorae etc. efficaciam praestantissimam prae ceteris tribuerunt. Quum autem haec auxilia organismo magis minusve irritamento atque stimulo sint, quia sanguinis aliorumque humorum circuitum accelerant ac sic congestiones versus caput et cerebrum augent, eorum usus sine noxa non est concedendus; serius tamen horum nonnulli, diathesi inflammatoria extincta, ad spasmos aliasque molestias, etiamnum persistentes, periculum simulque minantes repugnandas, effectum benigniorem exserere possunt, ex quibus prae ceteris moschus, infantibus dosi sensim sensimque adaucta, exhibendus est.

Morbo in primo stadio cognito, medelam antiphlogisticam adhibemus, quae semper promptissimum auxilium profert, Ex hac ratione primum sanguinis detractiones, rarius universales, maxime topicae, hirudinum applicatione instituuntur, quae fere semper sanandi scopo certissime satisfaciunt.

Sanguinis detrahendi copia, constitutione corporis, aetate infantis, vehementia morbi ipsius aliisque destinanda erit. Hirudines locis capitis diversis, circa frontem vel aures, vel tempora applicantur, quae respectu numeri infantis aetati etc. accommodandae sunt; propterea minoribus natu 4, maioribus 6, 8, vel 10, ad quan-

1) Hopfengaertner l. c. pag. 81 et 155.

2) Odier l. c. pag. 345.

titatem necessariam sanguinis amovendam, conferunt, Sanguinis detractatio topica repetenda est, si phaenomena denuo exorta, cerebrum adhuc affectum et diathesin inflammatoriam ex toto non fractam esse, ostendunt. Statim post sanguinis emissionem sufficientem, gelu, remedium, quod irritationem inflammatoriam systematis nervosi maxime imminuere valet, sub formis modisque variis externe applicandum est, cuius saluberrimi effectus medicorum peritissimorum auctoritate et multis experimentis comprobantur, quibuscum externis, simul internus mercurii dulcis usus, de quo inferius pertractabimus, aptissime coniungendus est.

Gelu applicatio parti aegrotae vel in forma epithematum frigidorum vel ex nive, vel glacie contusa parata, qua vesica bubula ad dimidiam partem implenda est, instituitur. Illae fomentationes ex aqua glaciali vel mixtione artificiali paratae, uti fomentationes Schmuckeri, splenii aut spongiarum ope, capiti detonso imponuntur, quae dimidia quaque hora ter, quaterve, vel quoties calefactae sunt, renoventur.

Formey et Heim aliam frigus applicandi methodum efficaciorem docuerunt, nempe perfusiones 1) ex aqua frigida, quibus, omnibus frustra expertis, miseros aegros, nonnunquam ex orco se eripuisse, affirmavere. Hae sequente modo ordinantur: Collo atque tota superiore corporis parte serico cerato refrigerii praecavendi causa, circumvolutis, aqua frigida ex altiori loco in radii forma, capiti antea detonso infunditur, donec

1) Formey l. c. p. 242.

status soporosus evanuerit, infans ad se rediens dolores senserit, quod si factum est, perfusiones non sunt continuandae, sed ab iis abstineatur, necesse est. Quae curatio, quoties die noctuque repetenda est, toties mens infantilis deficere incipit, sic tamen exitum faustum exspectare licebit.

Hic morbus praecipue, ut actuositas adaucta intestinorum tractus provocetur, alvi largae deiectiones aptis medicamentis cieantur, postulat, quia hoc modo humorum impetus a cerebro, actione antagonistica incitata, optime derivare, systematis sanguiferi irritationem inflammatoriam solvere valemus. Nullum vero omnium remediorum laxantium huic scopo accommodatius habendum est, quam mercurius dulcis, quippe qui, non solum maiori in dosi deiectiones alvinas frequentiores excitat, sed simul vegetationi morbosae limites ponit exsudationemque lymphae plasticae cohibet, quin imo resorptionem exsudati humoris efficit. Doses eius aetati, constitutioni corporis infantis etc. aptandae sunt. Infantibus tenerrimis granum dimidium, ad secundum vel quartum provectis, granum unum vel unum cum dimidio singulis horis, aut bihoris sunt praescribenda, in eoque tam diu continuare convenit, donec intra horas 24, deiectiones 4, ad 6 virides, pituitosae, sunt secutae. Interdum autem tractus intestinalis tanta inertia laborat, ut alvus, clysmatibus simul applicatis excitari nequeat, ubi singulis calomelanos dosibus, duo grana radic: ialappae, commode admiscenda sunt. Quodsi calomelanos usu largiori diarrhoeam, colicam vel salivationem excitavimus, eius doses minuendae et per longiora intervalla porrigendae

sunt; ptyalismum tamen infantibus in mercurii dulcis usu rarius, quam adultis excitari, constat.

Aliud probabile et saluberrimum medicamen, quod ad curationem perfecte instituendam, maximo cum fructu adhibetur digitalis est purpur. quae duplicem vim, functiones systematis ureopoëtici excitando, actionemque vasorum sanguiferorum morbose exaltatam, deprimendo exserit. Indicationes ad digitalis usum intrant: si stadium primum absolutum, morbus autem extoto nondum fractus, humorumque exsudatio extimescenda est; porro si urinae secretio parcior et tardior, pulsus frequentiores atque celeriores fiunt, quam ob rem, illa cum calomelane aptissime coniuncta, porrigitur. Dosis etiam aetati, constitutioni aegroti corporis etc. est accomodanda, praesertim cavendum est, ne maiori dosi, quam par est, nauseam, vomitum vel narcosin excitemus; minima est sexta grani pars, in pulveris forma, quae ad dimidium granum, sensim adaucta, in usum vocatur.

Restat adhuc de nonnullis remediis externis, internisque adiuvantibus, aliquid disserere, huc pertinent: vesicantia, balnea tepida, et inunctiones.

Vesicantia tantum locum habere possunt, si stadium primum iam absolutum, ac diathesis inflammatoriae vehementia fracta est, quia praemature imposita, vi sua irritante, illaque ex toto non extincta, morbum in deterius vertunt; propterea in morbi stadio secundo, ad vim vasorum resorbentium incitandam, utiliter in usum vocantur, quo interdum exitus in hydrocephalum chronicum, vel in mortem praecavetur. Vesicantia diversis corporis locis imponimus,

Portenschlag, 1) Baader, Quin vesicatorium supra totum caput applicandum suadent, alii vero vertici, vel occipiti, vel nuchae id applicare commendant; Goelis 2) denique suras, crura et brachia ad vesicatoria ponenda, aptissimos locos reliquis, praeferendos esse, contendit. Plurimi suppurationem per aliquod tempus, nimirum ad convalescentiam usque, servandam esse, necessarium ducunt.

Quamvis balnea, si inflammatio exculta est, effectus salutares non offerunt, sed potius aegrotus ex eorum usu detrimentum capere potest, quia sanguinem parti affectae advehunt, utilitatem tamen egregiam praestant, si cutis functio suppressa est, si exaltatae ac inordinatae systematis nervosi actiones v. c. convulsiones etc. adsunt, atque aegrum vehementer excruciant; illa per balnea cum sapone vel lacte parata, excitatur, sed ad has debellandas, balnea antispasmodicam vim exserentia, maxime conferunt. Pediluvia quoque acria, quibus sinapi, cineres et sal commune admiscenda sunt, laudem insignem iure merentur.

Iniunctiones colli, nuchae, femorum, quas Hopfengaertner, 3) Odier et Wichmann 4) collaudant, non sunt omittendae, augent enim systematis lymphatici actionem et inflammationis reliquias discutiunt, quem ad scopum ungt. hydrargyr. ciner. partibus illis il-

1) Portenschlag l. c. p. 200.

2) Goelis l. c. p. 178.

3) Hopfengärtner l. c. p. 155.

4) Wichmann l. c. B. III. p. 119.

linitur. Quum mercuriales frictiones facile salivationem moveant, semper caute atque modice applicandae sunt.

Absolutis iis, quae de praestantissimis remediis, tam internis, quam externis dicenda erant, ad diaetam, etc. breviter exponendam transeamus.

Diaeta ab initio medelae antiphlogisticae respondeat, qua ex causa aeger frigidiuscule habendus est, quiescat in pulvinari tenui, plumis, si fieri potest, non impleto, ab luce rumoreque omni remoto. Omnes potiones excitantes, atque cibi nutrientes sunt evitandi, e contrario haustus refrigerantes, iuscula aquae cum mica panis albi, vel ex fructibus acidulis parata, maxime conveniunt. In convalescentiae stadio, si ciborum appetentia redit, cibi paulo magis nutrientes, parcius vero et saepius dati, porriguntur. Quibus remediis et hoc regimine diaetetico strenue ac satis diu continuatis, plerumque salutem sperare possumus, sin vero tertium stadium intravit, omnis spes aegrum sanandi nos destituit, unica indicatio, symptomata atrociora mitigandi, et misero, quantum fieri potest, mortem leviorem parandi, superest.

Observatio.

Sub finem huius commentarioli, hydrocephali observationem a nobis institutam, memoratu dignam, afferre liceat.

Iulius R. tres annos natus, constitutione corporis debili praeditus, iam praemature facultatem animi maiorem, quam par est, ostendebat, erat enim inge-

niosus atque hilaritate maxima. Primo ab anno aetatis morbo scrofuloso vexatus, nunc praecipue omnia symptomata mali ex toto exculti, v. c. intumescentia glandularum colli et cervicis, quae saepius in suppurationem vertebantur, abdomen tumidum et durum etc. se manifestavere. Dentitionis negotium difficile ab eo perfectum, semper multas molestias ei paravit. Die III. Martii morbo correptus est, mater vero hoc permota, in policlinicum, quod duce Perill. Hufelandio floret, auxilium pro filio suo implorans, se contulit.

Die IV. Martii. Aegrotulus mihi ad curam instituendam a Cel. Osann medic. Professore benigne traditus est. Statim eum adii, deprehendique graviter afflictum. Facies rubore levi obtecta erat, palpebrae ob retinae sensibilitatem eximiam oculos plane occluserant, oculus ipse sine omni splendore, quasi collapsus et lacrimans, adnata tunica sanguine turgida, pupilla paulo contracta, reperiebatur. In fronte exanthema peculiare, de quo §. 4. locuti sumus, observabatur. Calor capitis adauctus, labia sicca, lingua tegumento tenui et albido obsita, cibi desiderium abolitum, sitis vero paene ardens. Aegrotulus de doloribus capitis et ventris querebatur, alvus per biduum erat obstipata, motiones febriles, pulsus frequentes, pleniores et inaequales. Maxima inquietudo, ita ut, non diu in uno eodemque situ persistere possit, erat morosus atque male contentus. Haec formatio capitis, quam (§. 8.) explicavimus, hoc in aegroto ad diagnosin certam instituendam, maxime conferre potuit. Omnibus symptomatibus enumeratis, atque

inter se rite comparatis, hydrocephalum acutum, seu inflammatorium adesse, intellexi, ad quem debellandum, nullam praeter methodum anthiphlogisticam utilem fore, mihi persuasum habui; qua propter protinus decem hirudines fronti imponi, posteaque epithemata frigida ad caput applicari, iussi. Praeterea infusum sennae cum natro sulphurico, aegro propinandum praescripsimus, quocum clysmatum applicationem, ad alvum ducendam, coniunximus.

Vesperi. Sanguinis copia e vulneribus per aliquot horas servatis, largior facta erat. Facies nunc pallida, capitis calor valde imminutus, fere naturalis, pulsus aliquantulum frequentes, sine omni plenitudine, irregulares, interdum intermittentes, sine omni plenitudine, irregulares, interdum intermittentes, febris omnino deest. Alvus nondum soluta, abdomen planum durum, in regione umbilicali collapsum.

Die V. Martii. Alvus ter soluta, coloris opaco-viridis, fere expers foetoris et muco commixta; ex parco et lacteo lotio, matutino tempore primo in vitrum demisso, sedimentum largum, cretae simillimum praecipitabatur, cephalalgia imminuta, facies valde commutata; pulsus fere normales, inaequales autem, nonnunquam intermittentes. Diagnosi sic rite stabilitata curam morbo respondentem instituere, opus erat; quare aegroto mercurium dulcem, sanandi scopo aptissimum remedium, praescripsimus.

R. Calomel. gr. j.
ffri albi gr. x.
m. f. pulvis dispens. dos tales No. XII.
D. S. Omni hora una dosis sumenda.

Simul capiti epithemata e glacie contusa, vesica bubula inclusa, quoties ſieri posset iterata, imponi praecepimus.

Vesperi. Infans statu comatoso correptus, per diem palpebris semiapertis, quietus in lectulo decubuerat ex eo autem excitatus, eiulatum peculiarem, huic morbo proprium emisit, ac tum in pristinum statum rediit.

Die VI Martii. Palpebris superioribus oedematose tumidis, insignis intumescentia oedematosa, simulque inflammata sinistri lateris frontis et faciei accesserat. Status soporosus ita erat adauctus, ut ex eo, vix ac ne vix quidem excitari posset. Noctu aegrotulus interdum deliraverat, pulsus ut heri, tardiores vero, respiratio tarda, suspiriis intercepta. Alvus pluries soluta, urina pellucida, subflava, sine omni sedimento. Continuavimus usum remediorum tum internorum, tum externorum. Die VII Martii. Aegrotulus satis bene se habet, status soporosus ex toto deest, ludit atque cibos porrectos cum voluptate edit. Intumescentia palpebrarum et faciei imminuta. Pulsus minus tardiores et irregulares, respiratio libera, spiritus commode ducitur. Alvum ter deposuit, urina ut heri, sed adhuc parcior, qua ex causa calomelani herb. digital. purpur. addimus atque praescripsimus

R. Calomel gr. I.
hb. digital. purp. gr. $\frac{1}{4}$
ſſr. albi gr. x.

m. f. pulv. dispens. dos. tal. N. XII.

D. S. Omni hora una dosis.

Epithemata frigida continuari iussimus. Die VIII Martii. Aegrotulus per noctem bene dormivit, intumescentia plane evanuit, epidermis fissa in diversis faciei locis desquamatur. Pulsus fere legitimi. Alvus pluries soluta, urina largior profluxit, ciborum disiderium. Nulla in medicamentis mutatio.

Die IX Mart. Morbus sensim sensimque descrescit, omnes corporis functiones rite procedere videntur. Aegrotulus optime se habens, lectum reliquit. Pulsus naturales, non amplius intermittentes. Quae cum ita se haberent, nunc omni bihorio dosin unam pulveris porrigi, fomentationesque rarius applicari, iussimus. Die X Mart. Fere nulla morbi vestigia adsunt, aegrotulus ceterum bene se habet, ciborum appetentia maxime adaucta. Urina subflava, pellucida, sedimentum exiguum deposuit, alvus semel soluta est, qua propter memoratis pulveribus rad. ialappae commiscuimus, atque ordinavimus

R. Calomel. gr. I.
rad. Jalappe gr. III.
ſſri albi gr. x.
m. f. pulv. dispens. dos. tal. N. XII.
D. S. Omni hora dosis una

Die XI Mart. Heri horis vespertinis exacerbatio improvisa rediit et per noctem duravit. Mater interrogata, infantem noctu, calore vehemente et siti ardente excruciatum esse, dixit. Matutino aegrotulum, sopore fere invincibili maximoque correptum, caput positum sinistro in latere, pulvinari circumvolutum, deprehendimus. Occiput ad regionem cervicis usque, intumescentia faciei plane oculis subducta, alia,

huic vero simili, invasum est. Facies musculorum convulsionibus distorquebatur; aegrotulum inter statum soporosum, manus saepius ad caput, nasum et labia ferre, quasi abstergere aliquid voluerit, observavimus. Alvus pertinaciter obstipata, urina lactea, sedimentum album offerens.

Nunc loco fomentationum, perfusiones ex aqua frigida, secundum Formey (§. 10) instituimus atque saepius iteravimus. Interna remedia continuari iussimus.

Die XII Mart. Hodie vespertino tempore exacerbatio vehementissima intravit, nam omnia phaenomena in deterius etiam vertebantur, quibus tum illa periculosiora: oris distortio, subsultus tendinum, floccolorum collectio supervenerunt. Pulsus frequentissimi, maxime accelerati, atque irregulares, respiratio anxia, accelerata et intercepta. Faciei rubor partialis cum pallore vicissim commutatur. Digitus carotidi et temporali super impositus, vehementem sentit pulsationem, cordis actio maxime adaucta evadit. Sopor ad summum gradum evectus, fere inexpugnabilis esse videtur, fortiores enim et saepius iteratae perfusiones, aegrotulum tantum pro momento ex eo excitare valent, sic expergefactus, statim in eundem relabitur. Urina lactea, sedimento albo, largiori praedita. Applicavimus octo hirudines, et perfusiones cum epithematibus frigidis alternatim, per noctem sine ulla remissione, instituimus. Pulveres e calomelane reiteravi.

Die XIII Mart. Perfusiones diligentissime iteratae et continuatae, nec minus hirudines praestantissimum auxilium hic tulerunt. Aegrotulus melius valet, om-

nia periculosa phaenomena fere obolita, status soporosus quidem mitigatus, non tamen extoto remotus erat. Pupilla aliquantulum dilatata, vultus torvus atque fixus. Pulsus retardati, irregulares et intermittentes. Alvus, quae per biduum tantum bis soluta erat, pluries est deiecta, urina parca, indole eadem ut heri. Vesicatorium cervici imposui, perfusiones et fomentationes sedulo continuavimus. Deinde infusum herb. digital. purp. ex drach. dimid. herbae, ad unc. quatuor colatur. paratum, vicissim cum pulveribus memoratis sumendum, praescripsimus.

Die XIV Martii. Denuo intumescentia oedematosa in facie exorta est. Oculi palpebris oedematose tumidis plane occluduntur. Alvinae excretiones aquosae, lotium pellucidum, citrinum, nubecula inhaerente. Pulsus fere naturales; locus, cui vesicatorium impositum erat, in suppuratione servatur. Pulveres e mercurio dulci sine ialappae addimento iteravimus.

Die XV Martii. Aegrotulus satis bene se habet. Intumescentia faciei et palpebrarum fere evanuit, sopor imminuitur. Alvinae excretiones aquosae et cinereae, urina ut heri, largior vero, sine omni sedimento, nubecula inhaerente. Perfusiones nondum applicavimus, epithemata autem instituimus.

Die XVI Martii. Morbus magis magisque imminuitur, functiones corporis iam rite absolvuntur, status soporosus ex toto evanuit. Pulsus naturales, totum corpus largiter sudat, cibi desiderium permagnum.

Die XVIII Martii. Aegrotulus optime valet, omnia ad naturalem conditionem accedunt, magis nutrien-

tes cibos, ut viribus labefactis subvenirem, commendavi.

Die XX Mart. Aegrotulus in pristinam valetudinem restitutus, regimine diaetetico bene ordinato, demissus est.

CURRICULUM VITAE

EX DECRETO GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS BEROLINENSIS ADIECTUM.

Ego, Carolus Augustus Guilelmus Fischer, Gardelebae, Palaeo-Marchiae oppido, anno MDCCXCV natus sum. Patre optimo, Regi Borussorum Augustissimo a consiliis aulicis, in summo magistratu, cui rerum sacrarum ac medicarum et institutionis publicae administratio est commissa, etiamnum gaudeo, matrem vero, praematura morte mihi exreptam, lugeo. — A prima pueritia elementis, quae studiis academicis viam muniunt, a praeceptoribus scholae sublimioris urbis patriae eruditus sum; aetate iuvenili Havelbergam me contuli, ut rei pharmaceuticae incumberem, ibique per quadriennium a Joachimo, aestumatissimo viro, cuius memoriam pia grataque mente semper servabo, omnibus, quae ad artem pharmaceuticam pertinent, imbutus sum.

Quo cursu peracto, Berolinum petii, ut in bello sacro iterum exorto, quamquam tunc temporis in re medica minus versatus, ad patriae salutem aliquid conferrem, chirurgi itaque munere in nosocomio castrensi cohortis praetoriae, in Gallia functus sum. Pace reconciliata iterum arti medicamentariae in nonnullis officinis pharmaceuticis operam navavi.

Hoc temporis spatio praeterlapso, per semestre lingua tam graeca, quam latina ab eruditss. Zernial philos. doctor. instructus sum, ut ita bene munitus cum fructu academicis studiis incumbere possem. Anno MDCCCXVIII in universitatem Gryphiswaldensem me contuli, ubi die XXVI mens. Aprilis à viro celeberrimo Tillberg t. t. Rectore Magnifico, in civium academicorum numerum receptus, a decano ordinis philosophici Quistorp, facultati adscriptus sum.

In hacce litterarum sede his lectionibus interfui:

Illustr. de Weigel in encyclopaedia medica. mineralogia, zoologia generali, nec minus in chemia mihi praeceptor benignus fuit. Cel. Overkamp logicen, psychologiam et philosophiam fundamentalem; Cel Tillberg mathesin puram et physicen experimentalem; Cel Fischer mathesin applicatam; Cel. Quistorp zoologiam specialem me docuerunt. Cel. Kanngiesser historiam mundi universalem; Cel. Hornschuch terminologiam botanicam et plantarum physiologiam mihi exposuerunt.

His studiis absolutis, Berolinum studiorum medicorum persequendorum caussa redux, a cel. Goeschen fasces academicos tenente, die XX mens. Octobris anno MDCCCXIX in album iterum relatus, atque a decano spectabili Ill. Graefe facultati medicae adscriptus sum.

Hae fere sunt, quibus per studiorum meorum spatium interesse mihi licuit, de re medica lectionibus:

Ill. Knape osteologiam, splanchnologiam, syndesmologiam me docuit; Ill. Rudolphi in anatomia, quam theoretica, tam practica corporis humani, comparata et pathologica, phsysiologia ac in entozoorum doctrina

mihi benevolus praeceptor fuit. Artem cadavera rite dissecandi in theatro anatomico, iidem Illustrissimi Viri me docuerunt. Ill. Link de botanice et toxicologia; Ill. Hermbstaedt de chemia; Exp. Boehr de pathologia generali disserentes adii. In therapia speciali a Perill. Hufeland, et in pathologia ac therapia speciali ab Ill. Horn eruditus sum. De materia medica Cel. Osann lectionibus adfui. Chirurgiam generalem et specialem, aciurgiam, doctrinam de fracturis et luxationibus, nec minus artem fascias applicandi, ophthalmiatricen, et in phantome machina operationes in oculis instituendas, me benevole docuerunt: Ill Rust, Ill. Graefe, Cel. Kluge et Exp. Jüngken. Cel. Kluge de arte obstetricia quam theoretica. tam practica, nec minus Ill. de Siebold de exercitationibus, quae huc pertinent, manu faciendis, imbutus sum. Ill. Berends, nec minus Cel. Hecker Celsi libros explicantes audivi.

Denique theoreticis studiis rite absolutis, Illustrissimos Viros ad aegrotorum lectulos sedulo secutus sum in clinicis medicis, Perill. Hufeland, Ill. Berends et Ill. Neumann, atque in chirurgicis Ill. Rust et Ill. Graefe.

Non possum non omnibus meis dilectissimis praeceptoribus Viris Illustrissimis summeque Reverendis, ex intimo animo, pro ipsorum in me meritis, summas gratias agere.

Iam vero tentamine et examine rigoroso coram gratioso medicorum ordine absolutis, defensaque hacce dissertatione, spero fore, ut summi mihi conferantur in medicina ac chirurgia honores.

THESES DEFENDENDAE.

I.

Crusta inflammatoria, quae dicitur, non certa est inflammationis nota.

II.

Morbi chronici, magis diaeta, quam medicaminibus sunt curandi.

III.

Melius est, anceps auxilium experiri, quam nullum.

IV.

Venena et acida corrodentia, ventriculo ingesta, reagentium chemicornm ope, vix neutralisari, innoxia tantum ex parte reddi, contendo.